

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiae Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiae, 1766

LIB. XXVI. TIT. III. De Confirmando Tutore Vel Curatore.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9050

LIB. XXVI. TIT. III.

DE CONFIRMANDO TUTORI
RE VEL CURATORE.

Qv. Si tutela, quae non rite in testamento est constituta,
a magistratu confirmatur, an sit dativa, an
testamentaria?

Lauterb. h. t. putat, esse dativam, quia esse suum a magistratu habet, sed
verius est, esse mixtam, ex testamentaria & dativa: & talis tutor quasi
testamentarius preferetur legitimo, L. 3. de Conf. tut. perdit excusando
se legatum, L. 32. de Exc. tut. nec cogitur satisdare, nisi in casu, quo ma-
ter vel quilibet alius ei, quem instituit, tutorem dedit. L. 2. L. 3. h. Qua-
si *Dativus* ante decretum nec gerere potest, L. 5. h. nec excusare se tene-
tur, L. 1. C. h. nec obligatur, L. 2. C. h. nec si quis ante datus est, is ideo
tutor esse desinit. L. p. C. h. De quibus videatur *Dn. Par. in Hyp. Inst.*
de tutel. §. 5. & Phil. Us. pr. Inst. L. 1. Et. 78.

Equidem hodie omnes tutelæ videntur mixtae, quia omnes confirma-
tione opus habent. O. P. de anno 1577. tit. 32. Verum decretum hoc ac-
cedit, non ut jure subsistat, sed ut geri possit. d. Hyp. §. 6. Jus ergo tute-
læ ex solo testamento vel lege oritur, sed exercitium & gestio a judice non
tam conceditur, quam permittitur. Neque inde desinunt esse distinctæ
species & effectus.

LIB. XXVI. TIT. IV.

DE LEGITIMIS TUTORIBUS.

Qv. I. An *Jure ff. & C.* tutela matris & aviae
sit dativa?

Laut. pag. A FFIRM. Quia tutela est virile officium, a quo sc̄minæ exclude-
463. verb. A bantur sine datione Principis. L. f. de tut. L. 2. L. f. C. Quand.
Jure ff. mul. tut. off.
& Cod.

O B J. L. 6. C. ad SCt. *Tertull.* ubi vocatur legitima.

R E S P. Non est legitima, quasi ex lege delata, sed quæ secundum
leges, adeoque justa est.

Hodie

